Caput 6.^{m}

Qui delicta contrahant nec ne.

§ 15.

De majori, et minore hominis ætatibus

Consueverunt ætatem hominum prudentes dividere in majorem, et minorem; major ætas tunc primum incipit, cum vigorem adolescentis corporis, simulque animi intelligentiam perfecit natura in homine: quam ob rem dicitur ætas perfecta l. 15.^{a} § Sin autem [struck through] l.^{o} ff. de probationibus. l. 7. Cod.^{e} Si aliena res pignori data sit. l. 1.^{a} § 1.^{o} ff. de vacatione, et [struck through] excusatione munerum. l. ultima Cod.^{e} de his qui veniam ætatis impetraverunt; tum vero legitima, et justa, quia legibus, quia jure putatur habilis ad omnia [illegible] l. 1.^{a} et 2.^{a} l. ultima. Talis jure comuni est ætas, quæ accepit annum quintum et vigesimum Instit. tit. de curatoribus in principio, a quo jure sicuti in cæteris, ita et in hoc non disceditur, nisi quando propriæ locorum leges aliquid novi induxerunt; id quod accidit in urbe Roma,

ubi initium anni primi et vigesimi est initium quoque ætatis majoris Statutorum Urbis Romæ Lib. 1.^{o} cap. 17.^{o} Fenzonius ibidem num.^{o} 7. De majore porro ætate nihil hic dico: nam cum ea sit perfecti judicii, non est dubium, quin sit in primis potens delinquendi. Agam igitur de ætate minoribus, in quibus non æque res est manifesta: minores autem [struck through] ætate voco quicumque majores nondum sunt facti Vide vocabularium Juris de verbo ætas versiculo ætas porro.

§ 16.

De Minoris ætatis variis partibus, et conditionibus.

Ætatis minoris prima pars est impuberum. secunda puberum adolescentium l. 17.^{a} in principio ff. de minoribus. Impubes is, qui per ætatem nondum aptus ad generandum; sic nimirum dictus a genitali pube nondum nata Macrobius in somnium Scipionis Lib. 1.^{o} cap. 6.^{o} § 4.^{o} Mares quidem non prius videntur ex impuberibus excessisse, quam compleverunt annum ætatis

quartumdecimum. At pubertas foeminarum tribuitur duodecimo anno, quia citius quam viri censentur maturescere ad venerem Instit. tit. Quibus modis tutela finitur in principio, ibique Vinnius num. 1. A. 3, L. Minorem 4a ff. de ritu nuptiarum, Macrobius saturnaliorum lib. 7o cap. 7o § 1o.

Septem priores vitae anni dantur infantiae sic nuncupatae, quoniam illa aetas fari non posse creditur, aut, quod fatur, non intelligere L. 1a § Sufficit 2o ff. de administratione domorum. L. Si infanti 18o Cod. de jure deliberandi. Vinnius ad §m 9m Instit. de inutilibus stipulationibus num 1o. Impuberum tempus reliquum quod sibi vindicat, est pueritia L. 13a § 1o vers. Attamen ff. de rebus eorum qui sub tutela, vel cura sunt. Videat Vocabularium Junii in verbo Pueritia.

§ 27.

De Infantibus

Infantes ratio nondum venit in sedem suam, ex qua sede regit cogitationes, actionesque humanas: est igitur illa aetas nescia malitiae,

ex qua existunt delicta vera; est nescia culpae, ex qua existunt quasi delicta L. Infans 12a ff. ad Legem Corneliam de sicariis.

§ 28.

De Impuberibus praetergressis infantiam.

Jure nostro distinguuntur pueri admodum impuberes sive infantiae proximi ab iis, qui proximi sunt pubertati: illi negantur in delinquentibus esse posse: isti non item Instit. tit. de inutilibus stipulationibus § Pupillus 9o, ac tit. de Obligationibus, quae ex delicto nascuntur § penultimo. L. Apud Celsum 4o § de dolo 26. ff. de doli mali et metus exceptione. L. Praetor ait 3a § Prima verba 1o ff. de sepulcro violato L. Sed etsi 5. § et ideo 12. ff. ad Legem Aquiliam. Utrumque recte: quippe usus docuit, eos, qui infantem aetatem recens excesserunt, etsi aliquanto minus desipiant, quam qui manent in ea, nondum tamen pervenisse ad illam intelligentiam, eamque malitiam, qui dolus dicitur: At dolus idem saepe praeoccupat

mentes eorum, qui tametsi pubertatem nondum attigerunt, prope est, ut attingant.

Infantiæ, aut pubertati proximi qui debeant censeri, quoniam hæc res minime erat definita legibus, ideo tradiderunt interpretes alii alio modo. Multis quidem placuit sententia Accursii, qui spatium ætatis illud, qui intercedit inter infantiam, et pubertatem, dividit in duas partes æquales, ut qui consistant in parte priori videantur proximi infantiæ, et videantur pubertati proximi, qui venerunt in posteriorem. Porro secundum regulam istam mares, qui sunt intra ætatis annum decimum cum dimidio, et pro diverso feminæ pubertatis modo (§ 16.) feminæ, quæ nondum annum nonum cum dimidio prætergressæ, videbuntur esse prope infantiam, et esse prope pubertatem, cum terminos illos excesserint Glossa ad § pupillus 9. in verbo Infantiæ proximus Instit. de inutilibus stipulationibus, num ad leg. 1. in verbo promiserit ff. de novationibus.

Verum intelligo sententiam hanc minime posse accomodari ad rem nostram: neque enim hic de ætate quæritur propter ætatem, sed propter dolum, qui pro valde vario ingenio, et educatione puerorum

nunc serius in eorum animis, nunc citius nascitur, ut sit sæpe falsum, et semper periculorum rem hujusmodi definire ex certis ætatis limitibus. Itaque in hoc quoque providentiam agnosco legum, dum rem imputentem certis, generalibusque definitionibus noluerunt definire, ratæ id melius in quaque re determinatum iri a judicibus causa cognita, cautisque adjunctis, ac præsertim prætermissis pueri actionibus, atque vita Salicetus ad l. 7. Cod. de pænis. Decius ad l. pupillum 111. ff. de regulis juris. Menochius de arbitrariis judicum quæstionibus l. 2. casu 57. num. 44. et seq. Antonius Matheus de criminibus prolegomenorum cap. 2. num. 2. Et generale est, ut relicta censeantur prudentiæ judicum, si quæ fuerint prætermissa a legibus l. 1. § aut Prætor 1. ff. de jure deliberandi (§ 7. vers. 2.).

Puerum autem, quem ita judex in dolo forte deprehenderit, puniet quidem, at puniet levius: nam si illa ætas non semper caret malitia, sane caret pleniore ea, quæ est ætatis provectioris Cap. 1º Bovaltium de delictis puerorum.

§ 29.

De superius ætate minoribus

Adolescentium ætas magis imprudens est, et

nimium servata, quam non intelligas. Itaque potens est delicti, sicut et doli l. 1. et 2. Cod. si adversus delictum. l. si ex causa 9. § nunc videndum ff. de minoribus. l. Apud Celsum 4. § de dolo 26. ff. de doli exceptione. Verumtamen juvenilis levitas, et genus ille dignus commiseratione l. Auxilium 37. vers. in delictis ff. de minoribus.

In qua tractatione fit peropportune, dum discrimen fit naturalium, et civilium delictorum. Naturalia delicta sunt, quae violant jus naturae, sive quatenus illud regit homines singulos, retinetque nomen proprium suum, sive quatenus regit gentes, jusque gentium appellatur Tullius de Officiis lib. 3º cap. 3º Delicta autem civilia illa voco, quae delicta esse coeperunt propter leges civiles, dum eae publicae rei causa aut jusserunt illa, quae prius omitti potuerunt sine crimine, aut quae fieri sine crimine poterant, prohibuerunt.

In delictis vero civilibus justum est adolescentium poenam mitescere, aut evanescere etiam debere l. si adulterium 38. § quare 1. ff. ad legem Juliam de adulteriis. l. regula est 9. in principio ff. de juris, et facti ignorantia. l. 1. § 1. ff. si quis in jus vocatus. l. si quis 7. § doli mali 4.

ff. de jurisdictione. Vinnius partit. juris in adit. ad jurisp. cap. 5º prope finem, et Instit. lib. 4. titulo 1. § 19. num. 3. quemadmodum supra aliis fuit responsum in muliere, quae in quo tempore non licebat matri, quemadmodum nec mulieribus aliis tutelas capessere, pupillo filio tutorem non postulaverat: quia enim erat minor aetate, eas placuit non debere carere haereditate pupilli ejusdem legitima, qua certe erat caritura, si aetate major tutorem pupillo non postulavisset l. 2. Cod. si adversus delictum. l. 3. cod. ad Senatus consultum Tertullianum. Atque vero delicta mere civilia quoniam nullam habent internam, naturalemque criminis notam, criminosa eorum natura non aliunde innotescit, quam ex civilibus illis ipsis legibus, a quibus exorta est; ergo difficile ut eo nomine rei videantur adolescentes, qui et ignari censentur legum civilium, nec jam propter ignorantiam talem in culpa esse, quippe quia nondum abest eorum aetas imprudens a civili illorum prudentia. Atque hinc Paulus noster in lege 9. in principio ff. de juris, et facti ignorantia Minoribus (inquit) viginti quinque annis jus ignorare

permissum est = l. 38. § quare 1. ff. ad Legem Juliam de adulteriis, Vinnius partit. juris in adito ad jurisp. cap. 7. prope finem.

At neque ipsi adolescentes ignorant naturalia crimina, quia minime ignorant naturam facti jam rationis compotes. Itaque in hoc genere interest, quomodo peccaverint: nam si culpa, aut negligentia judicabit sane qui praest jurisdictioni, restitui in integrum adolescentes nec ne debeantur l. 1. Cod. si adversus delic. Peresius in Cod. l. 2. tit. 35. num. 1. videlicet explorabit, utrum extiterit culpa talis, quae videatur propria adolescentiae, an adeo ex contrario gravis, et dissoluta, ut non tam gravis infirmitati, cui restitutio in integrum subvenit, quam socordiae, cui non subvenit, hominis debeat adscribi l. Verum 11. § si locupleti 5. vers. Marcellus. l. non omnia 44. ff. de Min. Vinnius part. juris l. 3. cap. 44. § 1. vers. circumstantiae facti, et conditiones.

Quod si non ex culpa quasi delictum adolescentis, verumtamen ex dolo fuit delictum verum, haud certe carebit supplicio, qui naturalem, quam callebat, legem violavit consilio

malo l. venia 1a Cod. de in jus vocando, l. non potest 199. ff. de lege juris, Vinnius partit. juris loco cit. et sub lit. H., Peresius in Cod. l. 2. tit. 35. § 5. in principio. Quocirca cum ratione apprime consentiunt, quae rescripserunt in eamdem sententiam Imperatores Severus, et Antoninus in l. 1a Cod. si adversus delictum = In criminibus quidem gravis suffragio minoris non juvantur; etenim malorum mores infirmitas animi non excusat. Si tamen delictum non ex animo sed extra venit, noxa non committitur, etiam si poenae causa pecuniae damnum irrogetur: et ideo minoribus in hac causa in integrum restitutionis auxilium competit = Concordat Ulpianus in l. si ex causa 9. § Nunc videndum 2. ff. de minoribus.

.... Ipsa tamen ipsa crimina, quae non debent in aetate minoribus relinqui impunita, debent interdum gravis causa puniri levius. Quid enim si exagitavit adolescentiae impetus praecipitem egerit voluntatem in crimen? Omnino fervor talis debilitabit poenam, sicut vicissim debilitavit